









GEORGII AGRICOLAE ORATIO
DE BELLO AD
VERSUS TURCAM SVSCIPIENDO,
Ad Ferdinandum Vngariæ Boë-
miæq; regem, & Princi-
pes Germaniæ.



B A S I L E A E

ANNO,

M. D. XXXVIII.

erit se/
iri atq;
pro ui
am ter/
uis per
unt, q;
pruden
neur si-
queant
uel sa
n morā
repra/
nterim
nitatis
ulcrit,

immet
ostem
Bimo,
i mul/
us scri
rbari
qua su
rauid
, dum
ite mi
, re/
e non
x ijs,
Vien
obfā

GEORGIUS FABRICIUS
LECTORI S.

Quam tanti sint horum temporum motus, uix ut ullum turbulētius fuerit seculum, præclare mehercule uidentur de rebus humanis mereri docti uiri atq; prudentes, qui statui Reip. iam labūi, ac propè deposito, opem ferre pro uiribus conantur. Quorum fidelibus cōsilijs si tam sedulo omnes parerent, quam temerarie obstinatq; renituntur, melius profecto cum Rep. ageretur. Quamuis per nullos magis isti tumultus sedari, atq; in tranquillio rem statum reduci possunt, q̃ per eos, quibus summe rerum habens tradita sunt atq; commissæ. Hi enim prudentia, consilio, ratione maximè abundare debent, ut suos fines non solum ab incursione & maleficio armis defendere, sed à metu etiam iniurie sua prouidentia queant liberare. Qua quidem in re maiorum nostrorum uel fortitudinem egregiam, uel sapientiam admirabilem, ac penè diuinam, mirari se penumero subit. A quorum moribus posteriores, quū neq; animis, neq; uirtute degenrent, in eo merito sunt reprehendendi, quòd mutuis odijs, & intestinis bellis uires suas atterant, quum interim fortunæ & ceruicibus ipsorum imminet hostis, omni perfidia atq; immanitatis scelere imbutus, Turca, qui quātas elades, paucis annis, orbi Christiano intulerit,

Audist & si quem tellus extrema refo
Submouet oceano, & si quem extenta plagarum

Quattuor, in medio dirimit plaga solis iniqui.

ut poëta doctissimi uersibus utar. Qui uero plerique acceptæ calamitatis immemores, periculūq; imminentis cōtumaces, aut segniter rem adgrediuntur, aut hostem in bellis exercitatissimū cōtemnunt: uidebor optimo cuiq; & Reip. studiosissimo, rem facturus admodū gratā, si eam orationē, quam Georgius Agricola, uir eū multis naturæ dotibus suspiciendus, tu uario rerū usu atq; cognitione instructissimus scripsit, in lucem darē. In qua ille non solū maximas nostrorū elades, et nefariā barbari istius tyrāni crudelitātē, ob oculos posuit, sed & multa uerè atq; prudenter, quæ sumus iam experiētia edocli, diuinauit, et nisi sapere nostro malo inceperimus, grauiora (quod CHRISTVS prohibeat) experiemur. Hostis enim uigilantissimus, dum nos ciuilibus discordiarum fluctibus & procellis iactamur, ne ocio ac securitate militum corpora animiq; eneruentur, semper in armis est, non confederatis ipsis, resignandi cupiditate inductus, parcens. Nam dolo, perfidia, insidijs, proditione non minus timendus, quā belli artibus uidetur. Quod quū ex hac oratione, tum ex ijs, quæ sunt intra octo annorum spatium gesta, satis adparet. Tricennio enim post Vien

A ij na obsia

Hajnik Imre
könyvtárol.

EPISTOLA

ne obsidione (paucos autē post eam mēses hęc oratio ab autore scripta, & lingua Germanis uernacula primū edita) instructo ualidoq; exercitu in Austrā et Stiriam incursionem faciens, ferro atq; incendijs, ueluti tempestas quedam, cuncta prostrauit. Altero post anno, ut & terra mariq; pugnandi uiam sibi praeuineret, Corradum Barbarossam elassis sue praefectum in Africam, Ludouicum Gritum ad expugnandum Sibenburgium in Vngariam misit. Sed hic infeliciter cum hoste manum conferens, à Meilana uaiuoda est cum exercitu deletus: ille secundis praelijs factis Thunifidensem regē expulit, quē tamen insequente anno, ductu & auspicijs Caroli Caesaris, regnum recepisse constat. Igitur quī euentus uotis non omnino respondisset, proximo post amissam Thunifiam anno, omnem furoris sui impetum in Persas conuertit, quae gens, quoniam expeditae armaturae, illius uires eludit magis, quā sustinet. Quum iam quiete nonnihil uiderentur Pannoniae, seciori Apulii, securiores Veneti, bello Persico omisso, inuente sequentis anni aestate inuadit Apuliam, obsidet Corcyram, & plus quā uiginti hominum millia capta Venetis auerbit, mox oppugnat alia quoq; ipsorum in Illyria oppida. Praeterea commissio cum exercitu nostro in Sauia praelio, ducum fuga dubijs (ut sit) & percussis militū animis aliquam reportat uictoriā. Hoc ipso deniq; anno, ex hybernīs erumpens, Segedinum florens Ioannis uaiuodae oppidum, hominibus in seruitutem abactis, uastat. Vnde facile conijcere est, impiissimum tyrānum neq; fidem, neq; ius, neq; amicitiam cuiusquam colere, sed solum rerum omnium, pro effrenata regnandi libidine, potiri uelle. Hi autem sociorum acerbissimi casus, merito Christianis exemplo debent esse, ut ardentibus à Deo precibus contendant, ne istam pestem latius grassari patiatur. minimē enim dubium est, nos in hanc Reip. noxam multis nostris criminibus incidisse. Quocirca persuasissimum habere debemus, Deū iratū non prius nobis reconciliatū iri, q̄ implorata ipsius ope, & sordibus animi perpurgatis, uitae innocentia fuerimus amplexi. Principū erit, sumptis armis commune incendium extinguere: populi, pijs et supplicibus uotis petere, ut dominus Iesus pacē atq; libertatē Reip. suae reddere dignetur, ut diuini nominis gloria, & Christiana religio, exploratis Mahometis blasphemijs, per orbē propagetur uniuersum. Turcarū mores et disciplina militare planius noscere qui cupit (hac enim oratione Agricola cōplecti omnia nec uoluit sanē, nec potuit) legat Sibeburgij captiuū, & Pauli Iouij librū. Epistolā Bermāni, ad finē orationis posuimus, unde quādo sit ea scripta, lector cognoscat. Vale, & Agricole studijs, prout debes, faue. Kempnicij Caesaris Misensorum. Cal. April. Anno à nato Christo M. D. XXXVIII.

DE

GEORGII AGRICOLAE ORATIO,
DE BELLO AD
VERSUS TURCAM, AD FERDINANDUM
Vngariae & Boemiae regem, & principes Germaniae.

Vanquam Rex & Principes nobilissimi uiros ingenio summo praeditos, egregia prudentia claros, singulari dicendi facultate instructos complures uobis esse, qui quod iustum & piū sit suadere possint, uosq; ipsos, si quā maxime deessent, sponte dudum eō animos inclinare non dubito: ipsa tamen indignitas rei, nō arrogātia, me commouet, ut de bello aduersus Turcam suscipiendo dicam. Quod ipsum maiore cum fructu, quā superioris aetatis quisquam, me facturū spero, quum quia apud uiros non minus prudentes, quā nobiles magnanimosq; dicturus sum, tū maxime quod tyranni istius atrocitas iam etiam nostrorum animos in se ipsa sic concita uit, ut plerique magno quodam desiderio contra tam impium hostem arma sumpturi esse uideantur. Atque ut inde ordiar. Bellum crudele & periculosum proxima aestate totius Germaniae, imò Christiano orbi illatum est à superbissimo & ferocissimo Turcarū tyranno, qui Vngarorū quorundam ad se defectione, occasionem sibi ad Germaniam primum caede & incendijs uastadam, deinde penitus occupandam oblatā arbitratus, in Austriam fertilissimā regionem cū exercitu maximo irruit. Ibi uerò mox uicos exulsi plures, oppida nonnulla euertit, agros depopulatus est, omnis etiam generis homines uel passim trucidauit, uel tanquam pecora abegit in seruitutem morte etiam duriorē. Vienne praeterea eiusdem regionis urbem longē amoenissimam, potentissimam, & celeberrimam mensis ferē obsidione arcuissimē pressit, muros ipsius partim disiecit cuniculis

A iij subtus

ORATIO DE BELLO

subtus actis, atq; puluere omnia dissipante intus accenso, partim æneis tormentis, bombardas uocant, confregit, innumeris militibus, qui per loca, muro & mœnibus orbata, facerent assultum, immisis, urbem uehementissime oppugnauit. Et profecto nisi in ipso temporis articulo præsidia, quæ Viennam suæ uitæ periculo defenderent, uestra prouidentia imposita fuissent, iam urbs illa nobilissima aut ui expugnata & direpta corruisset, aut repentino pauore oppressa uenisset in deditionem, aut dolis prodita & capta item in hostis potestate fuisset, non sine summo Germaniæ periculo, non sine maximo dedecore. Mox acre incidit frigus, quod, ut hostis sparsit rumorem, quia milites eius & iumenta id non tolerant, uel, quod uerisimilius uidetur, metus nostrorum exercituum, quos breui fortissimos accepit adfuturos, ipsum obsidione soluta discedere coëgit, sed ita decessit, ut non exiguam exercitus sui partem (quæ fama est) in finitimis regionibus, ut in his hybernet, reliquerit. Quocirca futura æstate si non bellum atrox, inopinata certe, crebræ atq; funestæ uelocissimi eius equitatus excursiones uobis erunt timendæ. Causa belli suscipiendi quæ sit, audistis: nunc primum de belli genere, deinde qua ratione id ipsum sit gerendum, tum de socijs asciscendis dicendum putamus. Bellum est eiusmodi, quo nullum aliud magis animos uestros mouere atq; accendere nec debet, nec potest. Non enim in discrimine uocantur transmarinæ, ut olim, regiones Christianorum, pro quibus maiores uestri multa & grauius bella gesserunt. Non uicinæ, ut nuper Vngaria, agitantur, quibus uos commiseratione & futuro periculo commotos totis uiribus suppetias ferre oporteret. Non denique periclitantur solum census uestri amplissimi & uectigalia maxima, quæ pacis ornamenta, bellis subsidia recte sunt dicta: sed agitur nostra omnium libertas, quam conseruasse pulcherrimum, amisisse turpissimum est. Agitur

salus

TURCIS INFERENDO.

salus amicorum, agnatorum, uxorum, liberorū, qua deperdita nihil esse iucundum potest. Agitur cuiusq; uita, pro qua defendenda contra sanguinarium istum tyrannum pugnare licet uel maxime. Agitur postremo sanctissima nostra religio, quam abnegare coacti, quid post hanc uitam sperabimus? Profecto nunquam iustior belli gerendi causa quam nunc se uobis obtulit, nunquam enim tantam calamitatem, tam atrocem iniuriam, tam insignem contumeliā Germaniæ perpeffa est. Multis & magnis cladibus Romani olim nostros affecerunt, sed iniurijs prouocati, sed la cessiti bello, sed plurimis et maximis ipsi cedibus affecti, nostri enim uel Rhenum transgressi Gallis contra Romanos auxilio fuerunt, uel Romanorum prouincias sibi uicinas longè lateq; populati sunt, atq; ita ipsi ui necessitateq; coacti impetus nostrorum reprimere, & eos intra suos fines cohibere sunt conati. At Turca nulla à uobis adfectus iniuria, sed maxima superbia inflatus, nimia sua potentia elatus, incredibili furore inflammatus Austriam, qua nulla ferè Germaniæ regio frumenti & uini simul est fertilior, ingreditur, atq; ipsam ferro & igni miserandum in modum uastat, homines à clade seruatos in captiuitatem abducit, sacra omnia prophanat. Qua de causa hoc bellum cum ceteris, quæ alijs unquam maiores uestri gesserunt, collatum, nemini non iustum iudicabitur: nō enim infertur à uobis, sed ab iniquissimo hoste illatū repellitur. Qui bellū infert non laceratus, aut diuicijs aliorū inhiat, aut dominandi ducitur cupiditate, quorū alterū insatiabilis auaritiæ, alterum impiæ tyrannidis uicium effugere non potest. Qui sibi & suis iniquè illatum repellit, iniuriam iure ulciscitur: quod qui rex uel princeps facere negligit, nec officij sui meminisse satis, nec curare uidetur subditos. Sed hic quid dico subditos? nō seipsum, in nullos enim alios tantopere sauit Turca ac nobiles familias, inter quas, ut regum & principum præcel

ORATIO DE BELLO

præcellunt cæteris, ita maiori in periculo versantur. Nam quum nostri ferè in tres ordines distincti sint: in operarios, sub quibus omnis generis, & artificij uulgus comprahendimus; in sacerdotes, quorum de numero censemus bonis studijs & disciplinis deditos; in genere claros, quibus omnes in magistratu aliquo insigni constitutos annumerare nunc uolumus. Quum regionem aliquam armis Turca subiecerit, iniurius quidem est in plebem multis modis. Etenim fortunarum partem ut tolerabile sit ipsis adimi tot & tantis exactionibus, quas de homine iam cõcepto uel mortuo, quas quoq; anno de masculis singulis, quas de domorum & hortorum portis, ut uectigalia & decimas taceam, soluunt, quibus tãtopere premuntur, ut nulla Christianorum regio tantum iugum ferre possit. Intolerandum prorsus uidetur, mortuo patrefamiliâs diuite (pauperi enim quid abripias, & nudo quid detrahas?) aut necato propter leues offensas uel suspiciones temere ortas, omnia eius bona ita in manu tyrânî esse, ut uxoribus, liberis, nepotibus, quantum libet dare possit. Sed ut omnibus fortunis eos nõ exuat, & det sanè aliquid, sic dat, ut ipse & satrapæ sibi maiorem & potio rem partem retineât. Hoc non est imperare, sed tyrânidem exercere: non tondere oues, sed deglubere; non iura, ut magistratum decet, subditis dicere, sed eos spoliare, ut latrones solent. Sed quæ sequuntur, minus etiam subditi ferre possunt. E liberis filios, quos collibitum fuerit Turcæ ad turpem Veneris usum, quem nominare pudore deterreor, aut ad militiam, quam iniquissimam exercent, abripiunt, filiabus præsertim Christianorum, magnates pro sua nefaria petulantia turpissimè abutuntur: nec minus uxoribus, si quæ placuerint, inspectantibus etiam maritis, qui, pro pudor, conuiuere & tacere coguntur. Nam qui Christianus Turcam contumeliosius tractat aut uulnerat, licet id faciat iustissimè, uel circuncidii more gentis, fide nostra

TVRCIS INFERENDO.

nostra abnegata, se patiatur necesse est, uel uiuus crudeli & iniquo decreto comburitur. Nec adeo multo æquioribus conditionibus Turcicæ mulieres apud uiros agunt, quibus tot licet ducere quot uoluerint & alere possint, & quas ducetas ter ob leues offensiones, magis uerò pro sua libidine repudiare, ter reuocare lege ista spurcissima admissum est, quod ubi sit, quæ coniugij honestas, quod matronarum decus: quis pudor esse potest? Verum sint hæc quoq; toleranda, quemadmodum non uideo ut tolerari possint, sacerdotum et eorum qui optimis artibus student, longè peior conditio est, nam non modo eisdem eos malis, quibus plebem, adficit, sed sacram quoq; doctrinam publicare, & disciplinas docere prohibet edicto, timet enim suæ impiæ nullisq; rationibus suffultæ superstitioni, quæ ueræ religionis lucem, philosophiæ splendorè ferre non potest. Necesse itaq; est, ut homines in quos Turca dominatur, maxima ex parte, non ita multos post annos planè impij & beluini euadant, atq; non modò innocentem & sanctam uitam, quod Christianos decet, sed ne cuius quidè, quod homines rationis cõpotes, agant. Siquidè non nisi pauci è tyranni familia instituuntur artibus, quibus ingenia ad fortunæ cultum excitantur, reliqui nihil discunt, præter q̃ Mahometis somnia. Verum quauis hæc bonis uiris nõ possint nõ esse grauissima, multò tamè grauiora pericula nobilibus familijs & magistratibus imminet, quibus deuictis nõ solū nõ parcat, quauis primo impetu parcat nemini, sed omnes crudelissimè trucidat, quippe quos timet nouis motibus excitatis se de regno exturbare posse. Cæterum eos non uno modo tollit, ubi res suas uidet firmas, statim omnes è medio auferre solet, ubi nondum satis stabiles: eos qui ipsi aduersi fuerunt, omnes necat, qui fauere sunt uisi, tum quidem seruat, sed non ita multo post etiam ipsos ceruices gladijs submissuros. Non possum hinc obticere crudele factum, quod Constantinopoli ca

ORATIO DE BELLO

pta perpetratum est: pars nobilium, inter quos erat Constantinus imperator, quā urbs expugnaretur, periit: pars superstes aut in carcerem coniecta fuit, aut latuit abiectis et sordidis uestibus induta. Quid sit, perfidus ille per praecorem omnibus salutem promittit, nec mora, quicquid fuit nobilitatis se indicat, ille ubi paucos admodum, aut nullos ultra latere credit, fide quam promiserat uiolata, omnes inter conuiuia iubet trucidare. O facinus crudele, quod solum te Regem & Principes illustres mouere deberet, atque in Turcam inflammare, paucis diebus antiqua Graeciae nobilitas periit tota, uel uitam abiectam inter seruos egit perpetuam, ne agnosceretur. Omitto hic Tapezuntij imperatorem, ac principes Ponti in triumphum Constantinopolim ductos, ibique crudeliter necatos. Taceo Hydruntis principem urbe capta dissectum. praetereo despotae Mysiae filios oculis priuatos. Certè in tot & tantis regnis, quae Christianis ablata sunt, ne una quidē familia uetus & nobilis in suo uigore est, imò in multis locis ne uestigium quidem nobilitatis extat. Sed quid nobilitati Otomanorum cruenta familia parceret? quā in ea (nihil dicā de fortissimis Bellerbeijs & Bassis, obleuissimas saepe causas interfectis) nec frater fratri, nec filius patri, nec pater filio parcat: siquidem Paiazetes Amuratis filius Solimanum fratrem per insidias interfecit, cuius deinde filius Moses paternum scelus imitatus sustulit Orchanem fratris Cyrifcelebis filiū, alter uero filius Mahometes frater occisi rursus Mosen patrum necauit. Secundus Paiazetes, huius qui nunc rem administrat Solimani auus, fratrem Zizimū uicit & fugauit. Quem Paiazetē filius Solimus, immemor eius qui se procrearat, expulit e regno, uenenoque per Iudaeum dato sustulit: Acomathem & Corcuthum fratres, unā cum eorum liberis: solo Amurate Acomathis filio dempto, qui confugerat ad Ismahelem regem Persarum, iussit interfici. Qua parte se-

ras

TVRCIS INFERENDO.

ras etiam immanitate portentosa haec familia uincit, quas inter se partus & educatio mirè conciliant, quum hic communio sanguinis non modò pariat dissidiū, sed uitā quoque eripiat: ut longè satius sit ferā ē fera nasci, quā hominem ex homine in sanguinaria Otomanorum familia. Habetis rationes imperij Turcarum, quibus, obsecro quid miserius & calamitosius? quid impurius & turpius? quid funestius & crudelius dici aut excogitari potest? Eant nunc rustici ignari ac stolidi, ac Turcam sibi dominum petant, qui eos uel primi belli motibus interficit, uel in seruitutē abstrahit perpetuam: uel, si perfidi facti, ad eum defecerint, tot afficit malis, & tantis oneribus premit, ut longè satius sit mori, quā in tali miseria & turpitudine agere uitam. Eant sacerdotes illi uacordes, qui Turcam tanquam unicum iustitiae administratorem, & sub quo aequius, quā sub principibus Christianis, cuiusque religioni dedito uiuere liceret, obuijs manibus excipiendum publicè proclamabant. Eant nobiles quidam improbi & maligni, & cum Vaiouoda Turcae confederato contra Christianos reges & principes coniurerent, atque rerum imperitis iniquissimam hominis causam probent, qui regnum Vngariae Ferdinando regi nobilissimo, ad quē antiquo foederis iure, & nouo adfinitatis pertinet, nefarie eripere conatur. Sensimus iam miseri, heu nimium sensimus Turcae crudelitatem. Austriae agri uastati sunt, uici exusti, terra respersa sanguine colonū, & cadaueribus passim est oppleta, flumina ipsdem referta sunt, religio ludibrio habita: o luctum, o moerorem, o saeuitiam, o indignitatem. Veteres Germani, inter quos sunt Gothi & Longobardi, quia indignè ferrent Romanorum imperium, quo tamen regiones fiebant cultiores, latius propagari, Italiam ingressi occuparunt ipsam, & Romam expugnarunt. Vos Turcam regionum uastatorem inultū esse patiemini? qui omnium uestrum imperia, imò totius orbis terrarum cru-

B ij delissimè

ORATIO DE BELLO

delissimè subuertere nititur. Maiores uestri pro Gallijs, Italia, & reliquis regionibus cum Romanis grauius bella gesserunt: uos pro Germania, patria uestra non dimicabitis? Illi saepe pro Syria, quæ Christianis adempta erat à Saracenis, recuperanda fortiter pugnarunt. Vos tot Germanis, non in Asia, non in Græcia, sed in ipsa Germania ad focos & aras miserè cæsis, quo tandè esse animo debetis? Magna sanè & præclara laus est Caroli regis Francorum Germanorum, quòd Saracenos Hispanias uastantes in Beticæ angulum compulit. Nec minor aui tui, Ferdinande, materni, regis præclarissimi, quòd anno ab hinc septimo & tricesimo reliquias eorundem prorsus eiecit. Sed maxima uestrū omnium gloria erit, si Turca à uobis ex Europa expulsus, in Asia fuerit oppressus: quod ut fieri possit concordia consensu, ut nuper, arma sumite, quibus imperij uestri dignitas, fortune splendidissimæ una cum uita, patria, & sanctissima nostra religione defendantur. Hactenus, quòd hoc bellum iustum & pium sit, dixi: nunc quòd facile & utile dicam. Quod antequam fiat, non abs re erit pauca quædam de Germania & uiribus eius dicere, quæ etsi exteris quibusdam, qui sua, ut fieri plerumque solet, magni faciunt, nostra contemnunt, nimia uideri possint, uera tamen esse omnia, non studio & amore patriæ ficta, res ipsa conuincet. Germania itaque nulli totius terrarum orbis regioni, si uniuersa expendere, mihi cedere uidetur. Nam adeo magna est, ut uerius regiones & multa regna, quam regionē & regnum unū ipsam dicere possim. Magnitudo uero ipsius perpenditur, quā à mari Adriatico (siquidem citra Danubiū has regiones sibi coniungit Rhetiam, Vindeliciam, Noricum, Pannoniam superiorem) usque ad oceanum portenditur, quā in ipso etiā oceano complectitur tum peninsulas Suiſonum, nos Suedos uocamus, & Noruegiorum maximas, tum insulas multas, & inter eas Gothiū & Britaniā: tenent

TVRCIS INFERENDO.

nent enim hanc insulam clarissimam Angli & Scotti dubio procul Germani: quā in Daciā, ubi Sibenburgiorum regio, & Sarmatiam, ubi Liuania, excurrit longissimè: quā denique Galliarum non exiguum partem, quæ Germania superior & inferior appellatur, occupat: nam Boëmiā in Germania sitam esse, nemini dubiū credo. Germanis etiā patere satrapis, quorum nonnulli licet linguam mutarint, ipsos tamen priscaurum familiarum nomina, quæ adhuc retinent, satis Germanos esse declarant. Deinde metallorum omnium præter ceteras regiones maximam Germania copiam habet. Cui enim Misena & Boëmiæ celebres fodine, maximè argenti, quod etiam purum ex ipsis effodit, ignota: Cui uenæ Meliboci mōtis inaudite: Cui metalla Silesie incognita: Quis Rhetorū cuniculos nescit? Quis Angliam metallis abundare, unde olim Britannia, ni fallor, dicta fuit, ignorat? Quis de Suiſonū ferro durissimo, quod uocāt Osemutū, nō audiuit? Sed ferri fodine multæ admodū in Germania sunt: nec desunt fluiui atque riui auri feraces. At è metallis nonne sūt pecuniæ: quæ præcia rerum, bellorū nerui existūt: nonne ex eisdem arma: quibus & nos defendimus, & lædimus hostes? Non potest igitur ad bellū non instructa esse Germania. Tum ubertate agrorum nobilis est, si quidē frumētī fertilissimæ regiones sunt Thuringia, Boëmia, Marauia, Austria, Baſoaria, & Saxoniæ multo maxima pars. Nec uina desunt: est Rheticū, celebratū etiam Romanis, Rhenanum, Alfacium, Austriacum, Mosellanum, Francū, Sueuicum ad Neccharū, Thuringium ad Salam, Misenu ad Albim: ut reliqua omittam. Mansuetis etiam & feris animantibus abundat, propter magnitudinē pastionis: quæ quū ita sint, neque tempore pacis, largus uictus, neque belli, sufficiens potest deesse. Quid? quòd nostra frumenta & uina in multos usque annos illæsa & incorrupta perdurant? quum cæterarum ferè regionum frumenta se-

ORATIO DE BELLO

cundo statim anno putredine uertantur in uermes: uina, nisi transfusa fuerint, corrumpantur & pereant. Sed sit fertilior Italia, at quam parua, & metallorum, ut res ipsa indicat, sterilis est, Germaniæ collata? Præcellat Dacia ubertate pabuli, at quam deserta & inculta est? Habet præterea Germania plura, quam ulla alia regio, flumina, & in his maxima, Danubium, qui longissimo tractu in Ponticum mare influit: Rhenū, Amasum, Visurgim, Albim, Sueuū, Vistulam, quæ se in oceanum Germanicum effundit: per hæc autem omnia merces nauibus inuehi & euehi possunt. Per Danubium uero nunc etiam commodissime instrumenta bellica, & ea omnia, quibus opus uobis erit. Habet etiam famulias antiquas, nobiles & potentes ita multas, ut regiones cæteras plerasque omnes, bona pace dicam, superet: e quibus tua Ferdinande hodie facile princeps, quæ proximis alii quot seculis multos imperatores edidit clarissimos, & nunc fratrem tuum, quo nullus à Carolo Magno fuit potentior, nullus magis inuictus, nullus minus plurimis & maximis uictorijs elatus: cui præter Germaniam, tot regna Hispaniarum, tot insularum, & tota ferè Italia obedit: cuius potentiam Afri timent, Turca perhorrescit, Scythæ maxime habent suspectam. Alter tu ab illo es, cui parent multæ & nobiles regiones Germaniæ, regnum Boemiæ florentissimum, atque Vngaria, licet perfidis istis multum reluctantibus, quæque breui, auxilio Dei Opt. Max. recuperata Constantinopoli, Imperatorem orientis auguramur futurum, non sine summa Germaniæ gloria, Græciæ diu optata libertate, maximo Reip. Christianæ augmento. Vos duos potentissimos fratres sequuntur Anglorum, Scotorum, Danorum, Suionum reges, partim diuinijs, partim armis celebres. A regibus secundum locum tenent principes, non pauci numero, & ita potentes, ut regibus sint conferendi, quosque ueteres Romani dubio procul reges nominarunt. Post quos

TURCIS INFERENDO.

quos numerosi sunt barones, aliarum regionum principibus comparandi. Infinita penè nobilitas, cuius pars soli imperatori, pars etiam principibus, pars regibus tantum pareat: quæ quum ita sint, uerè aliquis dicere posset, Germaniam tot habere nobiles, quot aliqua alia regio, non adeo parua, omnino homines. Adde ciuitates liberas, quarum aliquas Rhenus, multas Sueuia, plurimas Saxonia continet ditissimas & potentissimas. Milites postremo Germaniæ semper fuerunt plurimi, robusti, bellicæ appetentes. Quæ enim regio una posset tot delectos milites dare, quot Germania dedit his motibus Turcicis? amplius ducenta millia in armis erant, iamque omnes uersabantur in castris, aut iter saltim ingrediebantur, nec tamen obseruari poterat uiros omnes, nisi quod quisque suos abesse sentiret, nec principes omnes, adhuc arma sumplerant. Quod si totis uiribus fuisset purgandum, innumeri potuissent armari, quod nemini mirum uidebitur, qui nouerit in Germania uestra, præsertim ea quam magnam appellant, rarum quæque esse, qui non animum ad bella habeat, & armis uti possit: quum in cæteris ferè regionibus, non nisi nobilitas, & pauci quidam alij, militiam exerceant. Quid multa? in terris sitis ad Septentrionem populi nascuntur animosi, ne dicam milites: ad meridiem usque & exercitatione fiunt. Quam uero fortes nostri sint, hinc perspicuum esse potest. Bella multa ab hinc annis circiter triginta in Italia gesta omnes norunt. At penes quos uictoria stetit? penes eos ferè, à quorum parte Germani erant milites, licet numero longè inferiores essent. Nonne pauci nostri, una cum paucissimis Hispanis, socia gente, annis ab hinc quinque & uiginti è regno Neapolitano numerosum Gallorum exercitum, cui Marchio præfuit Mantuanus, ante biennium uero Venetos cum eisdem Gallis expulerunt? Nonne quinque millia nostrorum, & tria Hispanorum, inter quos erant Neapolitani, Prospero Columnio duce, uicerunt

ORATIO DE BELLO

uicerunt apud Vincentiam quadraginta ferme millia Venetorum: Nónne quarto ab hinc anno cum iisdem Hispanis Galliarum copijs uel profligatis, uel in fugam uersis, uel captis etiam regem ipsum ceperunt? Nónne Romam ante triennium, quæ militibus erat refertissima, cuiq; auxilio uenerant Venetorum copię maximæ, his ipsis quasi inspectantibus, & auxilium ferre non ausis, expugnarunt? Ea solum nunc meminisse & commemorare libuit, quæ in recenti adhuc memoria sunt; nam si, quæ ueteres Germani fortiter gesserunt, ea dicere uellem, dies mihi, ut tantummodo percurrerem, non sufficeret. Et profecto etiam si pauci sint nostri, pugnantes tamen plurimi uidebuntur, quod & Turcæ olim, quum Matthias clarissimus Vngariæ rex pauca nostrorum manu, nigram legionem appellarunt, contra eos pugnaret, fenserunt, & nunc non minus in Viennæ oppugnatione frustra sæpius tentata. Nam Matthias his ipsis Turcarum inimicam gentem sæpe profligauit, sæpius in fugam uertit, sæpissime eidem terrorē incussit: & nuper quum innumeros Turca haberet milites, qui terra & fluuio exitum præcludebant Viennæ obsessis, quiq; antè sibi persuaserant nullas uires humanas armis Turcicis resistere posse, pauci nostri ad eos collati cum hoc muris & moenibus, ad hostem ferendum aptis, destituti, adeo fortiter ipsis resisterunt, tantamq; iniecerunt trepidationem, ut superbissimus hostis urbem expugnandi pariter cogendiq; nostros ad dedicationem spe prorius amissa, fugam, non sine maximo suo dedecore & ignominia, duxerit potius inire, quam in infelici planeq; desperata oppugnatione diutius perseuerare. Siquidem Turcæ primo impetu satis alacriter urbem sunt adgressi, at ubi fenserunt quibus cum militibus eis res essent, ne uerberati quidem, atq; etiam uulnerati compelli potuerunt, ut ultra ipsam oppugnare anniterentur, quod tyranno & satrapis eius inter cætera non parum defecit animos, & illos

TURCIS INFERENDO.

& illos elatos spiritus fregit. Quum igitur Germania tanta sit, ut magnitudine nulli regioni cedat: tam fertilis & culta, ut etiā a paucis, & his fertilissimis, non multum uincatur: tam diues omnis generis metallorum, ut alias oēs regiones hodie facile superet. Quum potentia ciuitatum liberarum Italiae liberas Resp. æquet, numero longè excellat: nobilitate Imperatoris, regum, principum, & reliqui ordinis omnes nationes longissimè post se relinquat: fortitudine & copia militum uel maxime præcellat, non modò effemina tum Turcam a sinibus uestris arcere, sed etiam è Græcia & tota Europa eicere & depellere, in Asia turbare, & affligere, totum orientem uobis subicere poteritis. Veteres Germani, quibus multa, quæ uobis sunt maxima & florentissima, deerant, terrori erant orbi terrarum, nec tamen iunctis uiribus. Siquidem soli Gothi Thraciam & Italiam occuparunt, Vandali Africam: Sueui, Gothi, Alani, Hispanias: Longobardi Galliam, quam uocant latini Cisalpinam: Franci reliquarum Galliarum non exiguam partem: Angli & Scoti Britanniam, quas regiones, etsi linguam nonnulli mutarint, hodie ferè tenent. Quinetiam nostri in Dacia septem urbes, burga nostra lingua uocant, inuitis tam Vngaris quam Turcis diu possederunt, & hodie possident. Quid igitur dubij erit, uos Asianos, aut Asiaticis delicijs fractos profligere? quos Cato mulierculas dicit, de quibus Cæsar ait, ueni, uidi, uici, cuius tamen milites, quum Rhenum contra Germanos pugnaturus transire uellet, testamenta fecisse scribuntur. Quos denique Asianos, si Europeis conferantur, imbelles esse, ueteres medici & philosophi declarant firmis naturæ rationibus, & res ipsa atq; experientia comprobant. Quos enim Græci Europei ad Troiam uicerunt: Asianos. Quos iisdem primum in campo Marothonis, decennio post in Salamine, Xerxe fugiente, mox in Plataeis profligarunt: Asianos, Quos Alexan-

ORATIO DE BELLO

der Macedo armis subegit: Asianos. Verum dicit aliquis, in Græcos & Macedonas, uiros ita bellicosos, Turca hodie dominatur. Fateor, sed inter eos sunt Christiani plurimi intolerando seruitutis iugo oppressi, qui nihil magis in uotis habent, quam unum aliquem e regibus aut principibus Christianorum Turcis bellum inferre, se enim sumptis armis in libertatem adserere posse sperant, quod equidem e Græcis ipsis audiui. Quis uero dubitat eundem animum habere Thraces, Macedonas, Thessalos, Epirotas, Illyrios, Mysos, Dalmatas? Maxima istorum pars, credite mihi, quam primum de exercitus uestri aduentu certior facta fuerit, spe libertatis plena contra hostem concitabitur, atque ita duplex metus Turcis iniectus eorum res non parum turbabit. Ipsa etiam rerum natura uestris conatibus uidetur fauere, hanc, quam iam dicam, opportunitatem ad superius dictas adiungens. Vobis Danubius fluuius celeberrimus, quod etiam antea non nihil indicaui, in hostium defluit terras, quam ob rem facillime tum instrumenta bellica illabefacta, tum uictus sufficiens, tum milites integri poterint de uictis, hostibus uero omnia illa aduersa sunt, quare uobis bellum illaturum contra naturam, quod durum est, uidebuntur pugnare. Postremo Deum a nostra parte esse, quis non credit: quum & iustiore belli habeamus causam, & meliorem religionem obseruemus. illi uero contra nobis, ne lacessiti quidem, bellum intulerint, & impiæ superstitioni sint addicti. Constat autem, plerumque uictoriam ab eorum parte stetitisse, qui iure pugnaverunt: & qui Deum uerum uere coluerunt, prælijs uos secundis. Quis igitur de uictoria dubitabit? quum ex hac nostra parte Deus Opt. Max. pugnabit, illhinc Maomethes homo sceleratissimus: hinc ueri Dei cultores, illhinc impiæ superstitioni: hinc nobilissimi reges & principes, illhinc tyrannus & carnifices turpissimi: hinc milites fortes & constantes, illhinc prædones timidi &

TURCIS INFERENDO.

di & fugaces: hinc Europei bellicosi, illhinc Asiani imbelles: hinc pulcherrima pudicitia, illhinc libido turpissima: hinc iusticia & æquitas, illhinc uis & iniquitas. hinc denique uirtutes, illhinc omnia uicia & scelera. Quæ quum ita sint, satis iam declaratum arbitror, bellum hoc facile uobis futurum. Nunc quod utile sit dicam. Quum Europæ populi uniuersi natura sint bellicosi, tum Germani maxime, adeo ut si externa bella non gesserint, inter se ipsi causas bellandi quærant. Sic olim Hermunduri cum Cattis pro fluuio salem faciendo, quem Salam etiam hodie uocamus, bella gesserunt: sic Marcomani expulerunt Boios: sic Vesogothi cum Ostrogothis certarunt: sic Franci afflixerunt Langobardos. Nostra etiam memoria, ut multa omittam, Sueui Suecis, Geldrii Holandis & Brabantis, Vircenbergij reliquis Sueuis bellum intulerunt. Si igitur Germaniam à bellis et latrocinijs, quod utilissimum erit, quietam uultis, arma contra Turcæ sumite. Nam nostris, ut Cornelius Tacitus scribit, pigrum & iners uidetur sudore acquirere, quod possis sanguine parare. Quærunt igitur semper materiam belli, ea in proprijs regionibus non inuenta, pergunt ad proximas. Ita olim in castris Iulij Caesaris militarunt, ita nuper sæpius meruerunt stipendia Francorum, ita denique pro Imperatore in Italia maxima bella una cum Hispanis confecerunt. Semper enim nostris pax odiosa, militia grata fuit: atque in eam plerumque innata quadam belli appetentia irrum-punt, raro ipsam, ut & cæteri milites solent, pro partium eligunt æquitate. Quum præterea diuitiæ Asiaticæ, quibus Constantinopolim ditauit Turca, omnibus celebratae sint: et præde, quas ex tot regnis locupletissimis direptas in suum congegit & coaceruauit, maximæ: milites uero non tanti æstiment pietatem & iustiore causam, quantum largæ stipendia & ampla spolia, eò deducendi sunt, ubi hæc omnia iustius & uberius consequi possunt. De belli gene-

ORATIO DE BELLO

re satis dictum arbitror: iam qua ratione id ipsum gerendum sit, diligenter excutiemus. Non eo modo bellum hoc instituendum est, quo aliquot iam sæculis Christiani idipsum instituere consueuerunt, exiguo sanè, aut nullo fructu, maximo incommodo detrimentoq. Fuit uerò hæc ratio: fines præsidij munire & firmare nitebantur, quod ipsis, ut intelligetis, inutile fuit, & uobis, si idem facere uolueritis, non minus erit. Siquidem præsidia si parua erunt, non solum regiones ab hostium incursionibus defendere, uerum se etiam seruare non poterunt, atque ita diripientur regiones & præsidia ipsa in manus hostium data opprimuntur, quibus modis perditæ Rhodos, quum satis firmum præsidium non haberet, & Taururum, atq. aliæ urbes & arces ad Saurum & Danubium sitæ. Sin magna fuerint, maximis sumptibus erunt alenda, quæ ut nos reddant tutos, ita temporis successu omnino exhaurient. Certè si pecunias multis iam annis pro finibus tutandis, & nuper pro Vienna ab obsidione liberanda expositas, in summam colligere uoluerimus, iustum & diuturnum bellum inueniemus ea ipsa geri potuisse contra Turcam. Præterea non uideo, ut eiusmodi præsidia uos satis tutos possint reddere, nam si ualida Carentanæ, & Croaciæ fuerint imposita, Turca in Stiriam faciet impetum: si Stiria, in Austriam irumpet: si Austriæ, hostiliter in Marauia fines incursionem faciet, nisi fortè ita ualidos exercitus, ut possint resistere Turcæ, in prædictis singulis regionibus alere uolueritis, quod ut molestissimum regionibus, ita uobis diu facere erit difficillimū. Sed sint etiam exercitus illi fortes, nisi Turcis auctis, numero & uiribus pares fuerint, non audebunt in aciem copias educere, & cum hostibus configere, sed intra urbes et arces munias se recipient, ut moenibus bellum propulsare possint. Interea Turcæ mira quadam celeritate, ut solent, regionem omnem, antequam uos ei auxilio ueneritis, populabuntur.

Nam

TURCIS INFERENDO

Nam si pauci manum conferere ausi fuerint, à multis tandem uincuntur. Sed dicet aliquis, non est quod tantopere timeamus, multi sunt anni ex quo Turca Carentanā ingressus, ipsam uastarit, interea temporis non redijt. Sic etiā nūc, etsi Austriā depopulatus sit, intra plurimos annos nō redibit, ita pleriq. secuta omnia sibi spe promittūt, & neq. præteritorum recordantur malorū, neq. futuris prospiciunt: quod fit, quia quū ipsi calamitatem non senserint, non afficiantur ea tantopere. Sed longè alia ratio Turcæ nunc est, q̄ olim fuit. Habebat bella cum Vngaris: nunc Sultanum, cum Rhodianis, postremo cum Vngaris: nunc Sultanum Aegypto atq. Syria priuauit, regi Persarum ademit quasi non totam Armeniam, expugnauit Rhodum, Vngariam deuastauit. Tot & tantis uictorijs, quas in Asia, Africa, Europa ipse & pater eius intra paucos annos consecuti sunt, ita elatus est, ut non modò quiescere uelit, uerum etiam sibi totius orbis imperium, Christiano funditus euerso, promittat. Deinde si maximè uelit quiescere, ipsius milites, imò perditissimi latrones, prædæ assueti non permittunt id ipsum, sed undiq. materiam excitandi belli quærunt, semperque tyrannum, si quando desidem senserint, ad eius comparisonem impellunt, quæ quum uerissimè ita sint, an consultiuserit, eius regiones uos ipsos collecto numerofo hostibusq. non impari exercitū ingredi? an ipsi permittere iterū in uestra patria furere? depopulari agros & uicos exurere? matronas et uirgines dehonestare, dehonestatas trucidare? atq. sic stupro cædē, cædi stuprum addere? pueros & infantes ante ora parentum palis affigere, aut dillecare, aut suspendere? foetus in utero necare? aut exectos matri appondere trucidatq. parentes liberis spectantibus interficere? sacra pollueret? quibus omnibus quid grauius & crudelius accedere aut dici potest? quæ nuper Austriam perpeffam non sine summo audiuius mœrore, non sine maxima Germa

C iij niē

ORATIO DE BELLO

niæ patriæ nostræ ignominia permisimus. Quæ uidens nos animo nimis abiecto, tantam iniuriã à Turca sibi illatam tolerare, neq; nunc etiã parare arma, ita tacita loqui uide tur. Nihilne uos mouent tantæ, quas perpessa sum, direptiones, incendia, cædes? Turca in mea uiscera funestissimè se uisit, meos alumnos abripuit in seruitutē, de mea clade gloriatur arrogantissimè. Satiùs est uos fortiter pugnando mori, quàm uestras calamitates alienæ superbie ludibrio esse. Misèram me, quum cogito captiuos nudatos, atq; inter eos mulieres et uirgines pudicissimas spurcissimis emptoribus turpiter diuendi. Quum mihi in mentem uenit filiũ à complexu calamitosæ et lachrymantis matris diuelli, ac aliò matrem orbam duci in seruitium, aliò filium uendi. Quum considero uxorem castitate insignem, marito spectante, ut uile scortum tractari, ac altero uiro tradi inuitam & reluctantem. Quum perpendo uiros nobilissimos ad omnia opera domi & ruri conficienda paruo precio emi à sordidis rusticis. Nunquam ueteres mei Germani passi fuissent Turcam hæc impunitum fecisse, qui non solum hostes fortiter propulsarunt, sed plerosque meo subiecerunt imperio, nonnullis subactis linguam meam inuexerunt, alijs cæsis & expulsis meum regionibus nomen intulerunt. Nam quum Romani me sibi subijcere conarentur, dedit mihi dignas suis temerarijs ausis pœnas Varus unã cum tribus legionibus ab Arminio cæsus. Huni uastarunt Sueuiam & Franciam, sed eis Carolus meus alumnus ita uicem rependit, ut ipsos prorsus deleuerit. Sclauos quum loca à Germanis, qui sedes mutarant, relicta occupassent, ac ea ampliare uellent, Othones & Henrici Imperatores non repulerunt modò, sed etiam subiugarunt, ac mihi tributa pendere quotannis compulerunt. Vngaros postremò quũ pulsus Sclauis ad Danubiũ confedissent, & nonnullas meas regiones bello petere fuissent ausi, Carentani magna quidẽ cæde affecerunt,

TURCIS INFERENDO.

runt, sed multò maxima exercitus Othonis ad Lichũ. Quid plura? nemo hæcenus impunè me bello lacessuit. Quod nisi insignem hanc iniuriã nuper acceptam uindicaueritis, omnes, uos meos legitimos filios esse negabunt, nothos aut prorsus degeneres dicent. Hæc quidem Germania patria nostra. Sed quid uobis faciendum? quid exercitus maximi & fortissimi legendi, atq; in hostis regiones primo statim uere deducendi sunt, bellumq; inchoandum, quo hostis impij facinora puniantur, quo nostra defendatur patria, quo subueniatur Christianis grauissimo seruitutis iugo oppressis. Si Græci ob raptam mulierculam decem perpetuis annis bellum cum Troianis in Asia gesserunt; si Romani profocijs, qui longissimè aberant, defendēdis sepius sumplerunt arma: si maiores nostri ob leuissimas iniurias, in exteris etiã regionibus, fortiter pugnauerunt: quæ ignauia erit & iniqua patientia Turcam, qui non longè à uobis abest, insultũ Germaniæ regionem uastasse: destruxisse focos & aras: in captiuitatem abripuisse nostræ linguæ, religionis, & sanguinis homines: atq; uos in patria, ac intra tecta, eius aduentũ iterum expectare: cõtra quàm Germani ueteres, quibus proprium fuit hostem extra patriam querere animo magno & inuicto, non eius aduentum domi timidè expectare. Quam uerò periculofum sit, in patria hosti dare facultatem uobiscum pugnandi, exemplo uobis Romani esse debent, qui ferè semper infelicitè se in Italia & intra tecta defenderunt. Testis est Roma ipsa, à Senonibus direpta: testes sunt Cannæ, quæ multo Romanorum sanguine maduerunt: testis est tota Italia, quæ Cimbrorum armis territa, Gothorum dilacerata furore, Hunorum saeuitia deuastata, Longobardorum impetu occupata fuit, quum Romani longè à domo ita feliciter gesserint bella, ut cunctas penè regiones suo imperio subiecerint. In hostiũ igitur regiones, si uestris rebus cõsultũ uolueritis, copiae deducendæ erunt. Quinetiã iã nulla

ORATIO DE BELLO

nulla hyems tam acris uideri debuisset, quæ uos à tyranno
 isto mox persequendo retardaret; nulla flumina tam ma-
 gna, quæ frangerent uestram iram iustissimam, qua illatam
 iniuriam ulcisci decretum erat. amplius ducenta millia ui-
 ri, ex omnibus ferè Germaniæ nationibus delecti, ut scitis,
 apud Viennam cõuenissent, ita omni genere armorum in-
 structi, ut uix totus terrarum orbis, nedum Turca, ipsis sa-
 tis resistere posse uideretur. Sed quia callidus ille fugit, à
 proditoribus dubio procul de his omnibus certior factus,
 uos exercitus uestros commiseratione commotos, ira per-
 citos, belli cupidissimos dimittitis? Verū antequam lachry-
 mæ, quæ citò solent, arescerent, antequam iram leniret tem-
 pus, antequam cupiditas pugnandi abiret, sumenda erant
 arma. Dum uulnus recens est & dolet, animus uindictam
 concipit: ubi cicatrice inducta concreuit, paulatim ardor
 uindictæ frigescit: sic dum animus rei indignitate concita-
 tus, arma erant capienda. Quæ fuit igitur ista peruersitas
 & negligentia exercitus illos dimittere, & impetu potius
 bella, quam perseuerantia gerere: frigoris scilicet nostri pa-
 tiētes non sunt. At si alter populus, Germanus frigora faci-
 le tolerat. Sed uicerint istæ uestræ rationes, iter nobis ni-
 mis longum, & hoc anni tempore difficillimum ingredien-
 dum fuisset, uictus sufficiens tātis exercitibus tam citò non
 potuisset haberi: naues, si adeo omnia ad tātum bellum ne-
 cessaria præsto fuissent, quibus ea deueherētur, paratæ non
 erant. Vicerint inquam, quid causæ est, cur non ad proxi-
 mum uer omnium uestrum consensu bellum decernitur?
 quod aliquot perpetuis annis in hostis astutissimi & crude-
 lissimi regionibus geratur? an expectabitis quoad Mara-
 uia & Baioaria depopulatæ fuerint? quod ubi iam erit fa-
 ctum, uos conscribetis exercitus, ut cum hoste confligatis.
 Versutus iste collectis spolijs iterum è manibus uestris effu-
 giet, quod calamitate proxima docti, recentī memoria te-
 nere

TVRCIS INFERENDO.

nere meritò debetis, atq; iterum uos tædio longæ profecti-
 onis, aut prætextu hyemis, alteriusue cuiuspiam rei dimit-
 tetis exercitus, scilicet quia leuis causæ sit, quæ uos ad hostē
 persequendum stimulet. Quod si tertio tyrannum cupido
 capiet inuadendi Germaniam, ipsiq; redeundi dabitur lo-
 cus, pari modo (quæ tamen omnia Deus auertat) uastabit
 Sueuiā: quod si tandem arma ad hostem persequendum su-
 mere uolueritis, uereor ne nimis serò id fiat, nā hæ regiones
 si uastatæ fuerint, et uires uestræ distractæ laceratæq; multū
 minuentur, & animi non parū concident: hosti uerò illa ua-
 standi felicitas subdet spiritus, & uestram conspiciens socor-
 diam dominādī libidine inflāmabitur, ac reliquas regiones
 pro sua cōmoditate inuadere audebit, uestris fortunis dita-
 tus, in dies sperabit maiores: uestrā ignobilē et sepius tenta-
 tā patientiā superbē insolēterq; cōtemnēs, magis in furorē
 uertetur. Germaniā igitur dignitas & necessitas exposcūt
 ut hostis regiones petatis, quas amittat, uel uobiscum con-
 fligat necesse est, non enim se in tuta recipere poterit, nam
 non multa loca habet munita, quippe cuius rabies, nobilif-
 sima quæq; oppida excidio ac ruinis dedit, & plerasq; arces
 munitas euertit, & solo adæquauit, quæ res in aciem extra-
 het uel inuitos, ultimaq; audere & experiri coget. Veteres
 Germani, quod iterum atq; iterum dico, sæpius patriā ag-
 minatim egressi, regiōes bellicosissimas subegerūt, atq; eas
 inter se sunt partiti. Quid obstabit, quò minus hoc tempore
 idem fiat? armis scilicet nos caremus, hostis uero his ipsis
 instructus est: at Germania nunquā plura, nunquā melio-
 ra arma, quam hodie habuit, Turcæ uerò, si nostris cōferan-
 tur, uidētur inermes. Nam gladij eorū, cum his quibus mi-
 lites nostri in bello utuntur, collati, cultri esse adparent. Ha-
 stas illi fragiles & cauas gerunt, uestri duras & solidas, atq;
 etiā multò longiores: arcus illi manibus tendunt, uos in-
 strumentis ferreis, eoq; fortius ferire soletis: capita illorum

D. mitra.

ORATIO DE BELLO.

mitra uel pileus, uestra galea tegit: uos lorica & thorace estis armati; illi culcitra induti sunt: uos caballis, illi equis, ne dicā mannīs utuntur. nam camelī magis gestādis oneribus, q̄ bello gerendo usui sunt. Et profectō uos dum res lu dicras exercetis, uel ad conuentum aliquem proficiscimini, magis q̄ ipsi, quā ad bellum eunt, armati estis. Sed equites Aiani crebras sagittas in altum aerē eiāculātur, quā in modū grandinis glomeratā, in milites decidunt: his sagittis milites primam pugnae procellam sustinentes, qui ante mediū agmen quadratū procedent, si fuerint inermes, clypeos aut scuta obijciant, sin armati, tam facile lauciari non possunt. Sed manuarias bombardas plurimas lanitscheri habēt, contra quas nulla armatura satis tuti esse possumus: quasi uerō uos harum inuentores non plures ipsis habeatis, & melius tam uos q̄ Hispani et Itali iisdē uti possitis. Sed trāsugae Itali inter lanitscheros apud Turcā sunt, his ipsis & armis instructi: sint, at q̄ pauca eorum manus est, & certe omnes lapsi cuiuscunq̄ gentis fuerint, ubi uiderint uos fortiter dimicare, poenitētia ducti arma in hostes fidei pariter uertēt, aut si id non fecerint, difficile uobis erit tam paucos Italos nunc uincere, quos sepe antē multos uicistis. Sed dū castra mouebimus, & exercitus proficiscetur, celerrimī Turcarū equitatus incurſiones nō poterimus uitare: nō defunt uobis bigae bellicae, quibus cincti, ubi uisum fuerit, earū caudas ferratas, unā cū bombardis impositis, hostibus obuertetis, bigis etiā proximi sint, liceat mihi in re noua nouo uerbo uti, alij bombardarij, qui equites ferocis, minimē uerō stabiles, impetus facile repellent. Sed equitatus Turcicus, ubi iam conſigendum fuerit, ad latera discedere solet, ut acies aduersae improuisis magnarū bombardarū ictibus frangatur et turbentur, quo modo Selimus Persas uicit, & Solimanus Ungaros. Id quā nō lateat uos, in medio collocabitis latos pedum ordines, qui te uitent eiusmodi fulmina, se submittere possunt,

TURCIS INFERENDŌ.

possunt, & mox surrecti hostes inuadere, nec uestrae hōbardae tam leues q̄ graues sunt ocioſae. Hanc autē pugnandi rationē seruabitis, ut tota uī quadratū peditū agmen inferat pugna, tam uerō dextrū q̄ sinistrum cornu, quorū utrunq̄ cōſtet ex equitibus et bombardarijs, et inferat, et quā res potulauerit, arceat. Bigis autē & bombardis cauebitis, ne his, qui erūt a tergo cōstituti, si circumuenire se ab hostibus uiderint, terror et fuga iniiciatur. Sed Turcae fuga simulata nostros aut inſequentes trahent in locū aliquē inſidiarū, ut subito aduersi et undiq̄ inuadāt: aut effuſe prelatos multi paucos ab tergo saltem adoriētur. Vos igitur hostes primo statim incurſu pulſos, & callidē fugientes cautius persequimini, atq̄ in tēpore copias in castra reducite, nec unquā temere terga uertentes pertinaciter & lōgius inſequimini, nisi iam ipsis magna ex parte caſis, & castris captis, quasi debellatum fuerit. Sed commeatu interceptos nostros inedia & siti maceratos cōfectosq̄ oppriment, anteaq̄ iuſtū praeliū iniuerint. Ne penuria rerum uestros exercitus exclusos a cōmeatibus abſumat a Danubio, aut alio fluuio nauigabili nō erit diſcedendū: uel si omnino diſcendū fuerit, arcē urbemue nullā relinquetis a tergo nō captā, aut saltē nō obſeſſā. Sed deniq̄ dicēt, animus nō est nostris, q̄ fuit olim. at idē planē est, et lōgē maior prudētia, quod superiora bella satis indicāt. In hoc uerō, quā nemo nō libēs nomē dederit, quis nō credit, milites nostros q̄ aliās unquā animoſiores futuros: maximē quā nō Germanus Germanū feriet, nō Christianus Christianū, sed Germanus Turcā, Christianus Mahometanū. Hāc uerō dixi, nō ut uos duces belli clarissimos docerē rem militārē, sed ut hominibus temerarijs ostēderē, Turcā hostē esse nō negligendū, formidolosis nō tā opere timendū. Postremō dicet aliq̄s, si cōtra Turcā ea, qua dicis, ratiōe bellū gesserimus, aureo hamo piscabimur, & impēſae maiores q̄ fructus erūt. Qd̄ ut uerū sit, ita Germania cū tāta

ORATIO DE BELLO

lit regio, quātam esse iam indicauimus, maximos belli sum-
 ptus sustinere potest: & uos nihil non impendere debetis,
 ut regiones à calamitate liberentur, quas etiam à metu cala-
 mitatis liberari oportet. Perpeffa est iam hoc grauissimum
 malum Austria. Tremat Stiria propter periculi imminen-
 tis magnitudinem. Carentana tota metu quasi abiecta est.
 Carneola nunquā est ab hostium incursione secuta. Pauet
 praeterea uehementer Baioaria, perterrita est Marauia, tre-
 pidat Slesia, atq; hae omnes regiones uno ore uos, ut sui ra-
 tionem habeatis, rogant, uestram opem postulant, auxiliū
 expectant, quibus est à uobis mature consulendum. Quod
 nisi fiat, summum belli periculo, & perpetuo irruptionum
 metu regiones ipsae deferentur. quis enim agrum sedulo co-
 let, cuius frugibus an uti poterit, quū semper in dubio sit
 quis plantabit arbores, quarum fructus an carpere et gusta-
 re sibi licebit, qui nesciat? quis pecora pascere audebit, qui
 nunquam à praedonis celerrimi aduentu se sciat securum?
 quis deniq; merces inuehere uoluerit, quū sibi timendū sit,
 antequā eas uedere possit, Turcam raptas auerere? Quod
 si agricultura deferitur, negligitur pastio pecorū, arborum
 plantatio cessat, mercatorum negotiatio quiescit, actum est
 de qualibet regione etiam fertilissima: quae res in primis uo-
 bis curae esse debent, nisi enim regionū salus fuerit seruata,
 uestri imperij dignitas diu non poterit stare. Quod si qui
 sunt, qui & ipsi ipsi subuenire nolunt, & aliorum honestissi-
 mos conatus subuertere nituntur, eos neq; patriae, neq; no-
 mini Germano, neque Christianis rebus bene uelle, sed
 Turcam clam in pectore alere, aut grauissimam & Ger-
 maniae maximē noxiam simultatem in corde gerere credi-
 derim. Verum simultates & dissensiones, etiamsi gra-
 uissimae inter uos essent, pro communi utilitate, & ma-
 cula illa, quam proximo bello Germania suscepit, eluen-
 da ponendae sunt. Concordes uerò facile uos fieri posse
 proxi-

TVRCIS INFERENDO

proximi motus, non sine summa optimi cuiusque laetitia fa-
 tis ostenderunt. nam omnes, praeter spem multorum, uno
 animo consilioq; arma sumpfistis, & profecto ut uestra in-
 testina discordia ab Vngaris quibusdam & alijs prodito-
 ridus uulgata Turcam in Austriā trahens bellum externū
 exciuit: ita pulcherrima, ut uidebatur, concordia quā pri-
 mum tyranno nunciata est, eius animum prorsus deiecit,
 atque ipsum ex eadē Austria penitus expulit, adeo ut pro-
 ximas etiam arces, quae sibi proditae erant, non auderet tur-
 tari, sed Vngaris sine suo praesidio relinqueret. Habet Tur-
 ca discordiam pro praecipuo instrumēto, quo potentissima
 quaeque regna funditus euerit. Ipsam itaq; si nulla fuerit,
 occultis artibus & dolis serere solet: nascentem, nulli pecu-
 niae parcens, auget: sopitam, quibus potest modis, excitat:
 nouit enim eam unum esse uenenū labemq; regnorū. Atq;
 his inijs imperium Turcarum sub Otomano primum se
 attollere coepit, hoc progressu creuit sub alijs, qui ipsi in re-
 gno postea successerunt. Hoc modo sub Solimano astutissi-
 mo, in suo ueluti statu nunc consistit. Nam, ut inter multa
 pauca commemorem, atq; ea solum, quae in Europa certum
 est contigisse. Quū Cantacuzenus cum Ioanne Palaeologo
 Imperatore Constantinopolitano dissideret, Turcae sub re-
 ge eorum Orchane, in auxiliū à Cantacuzeno uocati, Eu-
 ropae primum arma intulerunt. deinde quū Palaeologus
 ipse, cui frater, Pelopōnesi princeps, & M. Craiouicus Bul-
 garorum regulus, bellum mouerant, accersisset sub Amu-
 rate filio Orchanis Turcas, strenue Imperatoris iuuerunt
 partes, sed Amurates hac occasione arrepta, imperij iuuan-
 di praetextu, mox Callipolim, Philippolim, Adrianopo-
 lim, cū alijs multis oppidis occupauit, Grecisq; discordibus
 ademit. Nec quiescerūt Turcae Graecorū imperio fracto,
 sed Epirum, Dalmatiam, Illyriam, ac Mysiam tam superio-
 rem q̄ inferiorē suae ditioni subiecerunt, principibus omni
 D. iij bus

ORATIO DE BELLO

bus interemptis uel fugatis. Nuper etiam quā Ioanni Vaiuodæ cum Ludouico rege non satis conueniret, siue hac occasione motus, siue à Vaiuoda, quæ fama est, Turca Solimanus in regem sollicitatus, Vngarorum exercitum, cum quo etiam rex ipse perijt, fudit. Quinetiam proximè ab eodem Vaiuoda, in Ferdinandū regem concitatus, non Vngaria cōtētus fuit, uerum etiā in Germania uestra grassari ausus, Viennā obsedit. Videtis opinor Turcarum rationes, quibus amplissima & potentissima regna subuertunt, imò iam sensistis opinor eorum astutias, nempe quod Vaiuoda ab ipsis instructus per suos quosdā pecunijs corruperat, qui et arma parabant, & Vaiuodæ iniquissimas partes extollere & laudare, regis iustissimas deprimere & uituperare audebant. Quæ res si non fuisset inuestigata, comprehensa, patefacta, quid futurum erat? quid aliud quæso, quā quod Germania ipsa perniciē suā intra sua uiscera aluisset? Aliēnū enim inimicū cauere possumus, domesticus hoc periculosior est, quo consilia nostra etiā intima facilius explorare, & hosti prodere potest. Sunt acerba hæc, sed longè acerbiora, agrorū uastatio, incendia, prædæ, cædes, quæ eius generis prodiones & coniurationes consequi solent, quæ omnia Vaiuodæ consilijs, & Turcæ uiribus in Austria perpetrata sunt. & adhuc in Germania nonnulli inueniuntur, animo tam insignitè improbo & peruerso, pro scelus, qui Vaiuodæ cuasias cōmendant, qui quid aliud agunt, quā quod hosti acerrimo beneuolentiā concilient, & in Regem optimum odiū iniquè concitent, nam uulgus ut oderit aut amet narratione non minus falsa, quā uera cōmouetur. Atque ita sensim pestis quædā nocentissima in animos hominū irrumpit, quæ antea quæ eius uenenū possit sentiri, uehementissimè læsit. Sed quō usque tandē finitis impbos istos suafores impunè inter uestros, atque adeo bonos uiros agere? nocētissimos hostes inultos cōmuni patriæ uti? scelestos ac nefarios prod-

ORATIO DE BELLO

proditores hac uita & luce frui? Ostendite uos uiros esse patriæ amantes, & scelerum ultores: atque omnes qui Turcæ et Vaiuodæ res cōmendant, si malignitate quadam animi ducti id fecerint, ē medio tollite, tanquam intestinos hostes & patriæ proditores: sin simplicitate dolum non senserint, edito aliquo graui: sed ualde utili patriæ, compescite. Porro schisma, quo Germaniæ unitas distrūpi uidetur, per bonos & doctos uiros auferri, aut ad minus sopiri potest, nam ferro si rem malis consilijs persuasi egeritis (id quod Deus prohibeat) & uires uestre, quo nihil magis Turca exoptat, mutuō in summam uestram perniciem concident: & opes, quæ in rem Christianam conseruandam atque amplificandam erant conferendæ, non sine subditorum maxima querimonia perdentur, qua de re non dissensionibus & factionibus domesticum bellum excitandum, sed conditionibus æquis concordia, qua primo quoque tempore animi coalescāt, quærenda est, aut si tam citō id fieri non potest, externis saltē timor interea uestros animos suspectos infēsosque inter se iungat, ne prelijs inter uosmetipsos sæuiatis. Quod dubio procul fiet, si res uestras crescere, & hostis ferocissimi minui ex animo uolueritis. uos autem id ipsum maximè uelle, discordiamque uestrā obstare nolle cōmuni patriæ salutē, nihil dubito. Quocirca posita simultate, & Germania à proditoribus repurgata bellum, quod in hostiū regionibus geratur, discernite, a quo non antè uobis cessandum erit, quā Turca ex Europa expulsus, ex Africa, in qua Aegyptum tenet, eiec tus, in Asia oppressus fuerit. Nam de imperio cum tyranno certandū, nec finis ullus alius huius belli esse potest, quā perpetua uictoria. Quocirca si uestrarum uirū non esse putaretis, tam magnum & tam diuturnum bellum gerere, loci belli sunt asciscendi, qua de re iam paucis dicturi sumus. Mihi profectō diuino quodam cōsilio & prouidentia uidetur accidisse, quod Turca nos Germanos infester,

ORATIO DE BELLO

hoc præsertim tēpore, quo Imperatorem tantū habemus, ut Germaniæ uiribus suo quodam iure Hispanias ac totā ferē Italiā coniūgat: quo te Ferdinandum regem celeberrimum, qui præter Boemiæ regnum, quidquid Vngariæ adhuc tibi fidē seruat, nobis connectis: quo uos fratres præclarissimam adfinitatem iunxistis cum Galliarum rege potentissimo, & Lusitaniæ ditissimo. Nam Anglorum, Scotorum, Danorū & Suecorum reges, præterquā quod cum Anglo uobis adfinitas intercedit, Germanicæ linguæ et originis nomine uobis mutuam concordiam debent: quo Moschorum principi pulcherrimē uobiscum conuenit: quo denique omnes Christiani concordant, Polonis et Venetis exceptis, quorum alteri cum Turca inducias habere, alteri fœdus pepigisse dicunt. Sed reges Christianos, si uobis deuincti non essent, commune periculum, quod omnibus ex æquo imminet, ad concordiam ac belli societatem uocaret. Neque prudenter dicerent Galli aut Hispani, extra periculum sumus, hostis longius à nobis abest, dicebant etiā hoc Græci anteq̃ Asia in Turcarum potestatem planē redacta esset, Vngari antequā Græciā uicta, Germani priusquam Vngariā uastata. Certē citius aliqua Galliarū pars una deuastaretur, quā in potestatem hostis ueniat tota Germania, quæ usque ad oceanum pertingit, eaq̃ parte, si uspiam, urbes habet munitas, quæq̃ in ipso oceano insulas, ut supra dixi, præpotentes tenet. Neque Italia extra periculū est, siquidem Turca uel arma transdanubianis regionibus perdomitis, per Alpes in Venetos & Langobardos uertet: uel ex Peloponneso traiciens mare cum exercitu Apuliā populabitur. Pars etiam Galliarum & Hispaniarum quæ respicit Africam, nōne ipsa ex aduerso habet Mahometanos: quosq̃ facile est cum Turca conspirare, quū eidem superstitioni addicti sint. At Veneti, quibus cum Turca pax est, ut uestros honestissimos conatus, quia multum terra, plurimum

TVRCIS INFERENDO.

mum mari polleant, iuuare, ita prorsus impedire non possunt. Quinetiam si contra Turcam unā uobiscum pugnare noluerint, quod tamen minimē facient uiri prudentissimi, timeant oportet ne ciuitates impietate permotæ iustissimē ab eis deficiant. deinde ne Turca potentior factus, ut ipsis olim Amurates Thessalonicā, & Mahometes Chalcidē & Scodram, Paiazetes Methonem, Dyrrhachiū, & Naupactum ademerunt, ita Solimanus nunc Cyprum, Cretam et Corcyram armis et uī occupet. Nec Polonus ubi audiuerit uos magno & constanti animo bellum in Christianorum hostem parare, alienus erit à uestris conatibus, & haud grauatim sociā arma uobis iunget, ut qui memor sit quid Ludouico Vngariæ regi, cuius pater tot annis cum Turcis inducias habuerat, tandem contigerit. Præterea etiam inter Polonos sint, qui Vaiuodæ, atq̃ ita etiam Turcæ rebus cōsultum uelint, tamen maxima et optima pars, quæ dubio procul uincet, Christianis. Quū igitur omnes, quotquot Christi nomine gaudemus, in eādē naui simus, uel eisdem agamur procellis, uel in eundē securitatis portum deferemur. non enim Germania, si ipsam uincere posset, hostis auarissimus contentus esset, sed Italiæ diuitijs, Galliarum opibus, Hispaniarum fortunis inhieret, ac nunquam dum regis aut principis superesset nomen quiesceret, sed carnifex ille omnibus insidijs & ferro sanguinem uitamq̃ eripere conaretur, imò iam ante uictoriā uobis uincula, uerbera, supplicia nimis atrociter minatur. Verum nihil hac parte timendum nobis est, nam pulchre Christianorum regna potentissima & opulentissima Dei nutu & consilio hodie consentiunt. Vnde non difficile uobis erit minas istius eludere, atq̃ gladios in uos districtos à ceruicibus uestris reijcere, & in ipsius caput impingere. Nam mihi huic familiæ Otomanorū scelestissimæ suum exitum iam planē uidetur instare. huic regno Turcarū cruentissimo suum impendere fatum, huic

D v denique

ORATIO DE BELLO

deniq; sectę perditissime suus interitus imminere, cuius rei certissimū indicium esse puto pulcherrimā illam concordiam uobis ac reliquis Christianis regibus & principibus diuinitus nunc datam atq; oblatam, quę si maioribus uestris fuisset, tot & tam nobiles urbes & regna Asia adhuc Christianis starent, Constantinopolitanum imperium in hostium non esset potestate. Vigerent in Gręcia bonę artes, in qua inuentę & excultę sunt. Floreret ibidem pietas, ubi olim floruit maximę. Nūc tot regna abrepta nobis sunt, et ita uastata, ut per multos annos uix aliquantum recreari, in antiquum statum nunquam fortasse restitui possint. Gręcia impia penę est, & nulla non barbara regione indoctior. Sed ista omnia ut non sine maximo dedecore amisimus, ita summa cum laude nunc poterimus recuperare, quum quę si totius Christiani nominis potestas coniuncta sit. Quam obrem facili uobis erit classes comparare omnibus rebus ornatas & instructas, exercitus maximos & fortissimos colligere, eosq; annis aliquot alere perpetuis, atque contra hostem terra mariq; gerere bellum. Agite igitur Rex & Principes inclyti, hoc bellum glorię plenum quā primum decernite, socios belli asciscite tempore fatis maturo, proximo statim uere inchoate, ut hostes pœnam suis crudelissimis sceleribus dignam suscipiant, & uires eorum atterantur, ne posthac nocere possint, cõtundaturq; superbia Deo pariter & hominibus inuisa: ut Christianę regiones iā suis rebus diffidentes confirmetur: nuper misere afflictę uestris erigantur uiribus: olim perditę recuperentur: ut denique a uobis splēdidissimę uestra defendantur fortuna; bonę literę, quę uestra pręclara facta narrent posteris, uindicentur ab interitu: pietas & sanctissima nostra religio in suo uigore conseruentur.


Illustris

VILLVSTRISSIMO PRINCIPI FERDINANDO VN-
garie & Boēmie regi, magno Hispaniarum principi, Archiduci
Austrie, Laurentius Bermannus S. D.

QUUM nuper illustrissime Rex, in orationem Georgij Agricole Medici, quam de bello aduersus Turcam suscipiendo conscripsit, incidissem, mirū dictū, quā placere cęperit, non eo quidem nomine quod calamitates, quas Germania superiore anno passa est, ante oculos ponat (quis enim illas sine gemitu & luctu commemorari audeat?) sed quod omne tyranni istius crudelissimū peritū, quod pleriq; magno & suo & publico malo exoptare uidetur, sic explicet, ut nemo, saltem bonę mentis, non debeat iustissimis odijs iraq; in latronem illum commoueri, qui nulla iniuria prouocatus tot mala Christiano orbi intulerit. Tum deniq; quod rationem indicet, quā iste debellari, opprimi, & maxima cum Germanię gloria extingui possit: quibus omnibus uir ille studium suum in patriam facili declarat. Quum igitur te autore bellum decernendum, tuis auspicijs gerendū speremus, & hæc oratio nihil agat aliud, quā ut omnes tecū huc cohortetur, digna uisa est quę ab omnibus legatur. Eam itaq; inclyte rex, tibi dedico, subq; tuo nomine in publicum exire uolo. futurum fortasse ut si nō omnes, certę optimos quosq; ad hoc bellum sequendum alacriores reddat. Quis enim uir fortis ad id ipsum non ultro cupiat signa tua sequi, ducis uidelicet iam inde ab atauis fortissimi prudentissimū? Nam ut omittam Rudolphum Habsburgi cōmitem, primum tue familie Imperatorem, qui Ottocarum Boēmie regem bellicosissimū uicit: ut deinde Albertū, qui in Turcam exercitum duxit: certę Maximilianum auum tuum nostro seculo rei militaris peritissimū, & multis bellis uictorijsq; clarū nouimus omnes, in cuius castris me olim militasse, nō parua mihi glorię duco. Qui nisi morte ipsi matura, sed intēpestiua Reip. substractus fuisset, iam dudū impius iste sceleribus suis debitas pœnas luisset. Hos oēs tu ut fortitudine, prudētia, nobilitate æquas, ita potentia longe antecellis. Nec sumptus deesse poterunt: nam si quondam Germani non coniuncti quidem illi, sed nunc Franci, nunc Sueni, nunc Saxones sepius expeditiones, modō in Italiam, modō in Galliam, modō aliō atq; aliō parare potuerunt, quanto magis hoc tempore, regione multo cultiore, & rebus omnibus ad bellū necessarijs abundante, quantumuis magno bello sumptus sufficient? Tutantum, inclyte Rex, accingere, pijs armis patriam & patrias religiones tuendo Deum Opt. Max. tibi amicum facito, nomen tuum apud posteros immortalitate consecrato, & munusculum hoc regia illa animi tui magnitudine suscipito. Vale, ex ualle Ioachimi XV. Calend. April. Anno M. D. XXX.



CAPITVLA
SANCTISSIMI FOEDERIS INITI
Inter summum Pont, Caesaremque Maie
statem, & Venetos, Contra
Turcas.



Coloniae in Plata Diui Marcellii

